AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 60r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



huius seculi molestum est. Plenum est temptationibus in rebus prosperis ne extollat in
rebus aduersis ne frangat. Qui tibi dedit felicitatem huius seculi ad consolationem
tuam dedit non ad corruptionem. Rursus quoque flagellat in isto seculo ad emen
dationem facit non ad dampnationem. Ferto patrem erudientem ne sentias
iudicem punientem. Hec cottidie dicimus uobis et sepe dicenda sunt quia bona
et salutaria sunt. Sermo. xiii. ab eo quod scriptum est. post hoc uenit ihesus et
discipuli eius in iudeam terram. et illic demorabatur cum eis et baptizabat. usque
ad id quod ait qui habet sponsam sponsus est. amicus autem spon
si qui stat et audit eum gaudio gaudet propter
uocem sponsi. Capitulum. xxv.

ORDO LECTIONIS EVANGELICE SECUNDUM IOHANNEM
sicut potestis meminisse quia curam geritis profectus uestri iste sequitur.
ut hec quomodo lecta est hodie nobis tractanda proponatur. Ab ipso
principio usque ad hodiernam lectionem que supra dicta sunt meministis iam esse tra
tata. Et si forte multa inde estis obliti. certe officium nostrum manet in
uestra memoria quae hinc audieritis de baptismo iohannis. Et si non tenetis omnia
audisse uos tamen credo quod teneatis que dicta sunt. et iam quare spiritus sanctus in specie
columbe apparuerit. et quomodo illa nodosissima questio soluta sit. quia nescio
quid quod non nouerat didicit iohannes in domino per columbam. cum eum iam nosset. quando
uenienti ut baptizaretur ait. ego debeo a te baptizari et tu uenis ad
me. quando ei dominus respondit. sine modo ut impleatur omnis iusticia.
Nunc ergo ad eundem iohannem cogit nos ordo lectionis reuerti. Ipse est ille
qui prophetatus est per ysaiam. Vox clamantis in heremo. parate uiam domino.
rectas facite semitas eius. Tale testimonium reddidit domino suo. et quia
ille dignatus est amico suo. dominusque ipsius et amicus ipsius perhibuit et ipse
testimonium iohanni. Dixit enim de iohanne. Innatis mulierum non surrexit maior
iohanne baptista. Sed quia se illi preposuit. in hoc quod plus erat a iohanne. deus
erat. Qui autem minor est inquit in regno celorum maior est illo. Minor
natiuitate. maior potestate. Maior diuinitate. maiestate. clari
tate. tamquam in principio erat uerbum. Et uerbum erat apud deum. et deus erat
uerbum. Sic autem perhibuerat in superioribus lectionibus iohannes domino testi
monium. ut filium dei quidem diceret. deum non diceret. nec tamen negaret.
Tacuerat deum. non negauerat deum. sed non omnino tacuit deum. Fortassis enim
inuenimus hoc in hodierna lectione. Dixerat filium dei. sed dicti sunt et
homines filii dei. Dixerat tantae excellentiae illum fuisse. ut non esset